PRO FVNERE ILLVSTRISS.

ET GENERO SISS: BOHEMIÆ PROREGIS, IOANNIS IVNIORIS POPELII, BARONIS DE LOBCOVICIO ORATIO.

IOANNIS SCLIPHI
Campogryphij Iureconſulti.





Eiuſdem Elegia cum Epitaphijs.

VIENNÆ AVSTRIÆ EX Officina Caſpari Stainhoferi, Anno M. D. LXXII.

ILLVSTRI ET VERE GENEROSO BARONI CHRISTOPHORO NAtu minori Popelio de Lobcouicio, Serenifs: Bohemiæ & Vngariæ Principum Rodolphi & Ernesti, Archiducum Austriæ, Sacratifs: Ro: Impe: Maxim: II. FF. Camerario, Thynhorſſouiæ, Thachouiæ, Bilinæ, & Zæzouicij, hæredi,

S. P,

TAndèm aliquandò post tuum ex Hispania cum Serenifs: Principibus nostris reditum, Christophore Baro Generosifsime, Patris tui Jllustrifsimi Bohemiæ Proregis funeris translationem, ad delectam Thynhorſſouiæ sepulturam, non amplius prorogatum iri constitutum est. Omnes enim tuos gentiles, atq; tutores, vel in hoc solum, vt extremæ eius voluntati, quàm primùm satis fiat, vehemen-

ter incumbere, certi homines huc attulêre. Ad id ne quid temporis accedat, etiam pro tuo in Patrem tuum amore debito, ipse exoptas. Vestri omnium itaq; tam pij desyderij comprobandi causa, orationem, & quædam carmina funebria, inter has domesticas familiæ tuæ turbas, stylo remissiore conscripsi: Ea tantum abest vt perpolire potuerim, vt etiam vix alteram manum per has quotidianas occupationes illis adhibere, mihi commodè licuerit: Attamen aliquot summorum virorum authoritate permotus, ea in publicum edenda, & tuo nomini inscribenda constitui. Primùm, vt in Patrem tuum Heröem clarissimum, ob eius in me beneficam, quàm tot annis erga me perspexi voluntatem, vel hoc grati animi (cum iam vix aliud quicquam eius causa præstare possim) monimentum apud posteritatem extaret. Deindè etiam, vt haberes

exem-

exemplum tuum domesticum, atque illud proximum, quod in vita tua præsenti tutò tibi sequi liceat. Quod quemadmodùm facis, vbi in posterum æquè constanter feceris, vt nullum aliud eo absolutius, atque illustrius reperire poteris: Ita etiam iisdem gradibus, quibus Pater tuus immortalis factus est, veram laudem, & tui nominis sempiternam memoriam tibi comparabis. Nihil enim est, mihi crede, quod in vita tua tibi accidere queat, id Pater tuus quin sit longè antè expertus: Nihil quod tu videas, quod Pater tuus longo antè tempore non præuiderit: Atque adeò tota sua vita præclarè, cum summa laude transacta, viam ad perpetuam immortalitatem tibi facilimam patefecerit. Consultissimum itaque tibi erit, tritis eius, iam tanto temporis spacio probatis vestigiis inhærere. Ita tandèm fiet, vt non solùm gloriam paternam imitari, merita asse-

qui poßis: Verùm etiam aliquid ornamenti, ad familiæ tuæ decus, progreſſu temporis accumulare. Et quoniam te iampridèm omnem honeſtatis laudem pleno curſu perſequi video, ita, vt cum primis antecellas, cohortatione mea nihil eges: Et huius quicquid eſt, teſtificandæ potiùs meæ in te obſeruantiæ gratia, quàm, quòd tu his vllo modo opus habeas ad virtutem ſtimulis, addendum eſſe exiſtimaui: Accipies itaq; hanc meam gratitudinis teſtificationem, id eſt, paternarum virtutum memoriam, in huius anni ineuntis fœlix auſpicium ſtrenarum loco, quibus ego cariores, & tuo præſenti inſtituto magis accommodas, hoc tempore nullas alias reperire potui, & eo animo accipies, quo & ego ſcripſi: atq; in poſterum quantum per ingenij mei vires mihi licebit, maturiora à me expectabis. Vale Baro Illuſtris, patris tui Herois immortalis

virtutum

virtutum non immemor. Viennæ Austriæ ad iij Idus Februar: ex ædibus Cos: Braunsteteri. Anno recuperatæ salutis humanæ ineunte M. D. LXXII.

T. J. G.

Ad obsequendum paratiss:

Io: Scliphus Camp: Iureconsultus.

PRO
FVNERE
ILLVSTRISSIMI ET GENEROSISS: BOHEMIÆ PROREGIS IOANNIS IVNIORIS POPELII, BARONIS DE LOBCOVICIO ORATIO.

JOANNIS SCLIPHI CAMpogryphij Jureconsulti.



Recati ſumus à DEO Opt: Max: Auditores Chriſtiani, votis ardentiſsimis, vt, pro ſui Sacroſancti nominis honore, pro Vniuerſalis Eccleſiæ incremento, pro communis noſtræ Patriæ ornamento atq; commodo, pro huius ampliſsimi Regni incolumitate, deniq; pro conſanguineorum atq; adeò amicorum omnium diuturna conſolatione, nobis omnibus, ſumma pietate, religione, fide, æquitate atq;

B conſtantia

conſtantia Heroem, Ioannem iuniorem Pope-
lium Baronem de Lobcouicio, Bohemiæ Pro-
regem Illuſtriſsimum, ſaluum atq; valentem
quàm diutiſsimè conſeruatum vellet. Quid enim
aliud æquè fieri decuit, quàm & illum ſuæ pieta-
tis & beneficentiæ fructum ſuo jure quodam-
modò à nobis expetere, & nos noſtro debito il-
lius promeritis officio, pro noſtris viribus non
deeſſe? At verò poſteaquàm Deus Opt: Max:
non tam noſtrûm omnium vota neglexit, atq;
(ſublato nobis è medio illo, vel potiùs ex his
calamitatib: & diuturnis miſerijs erepto, quem
vnicè omnes in annos infinitos, florente ingenio,
firmo corpore, à fortunis omnibus locupletiſ-
ſimum, ſoſpitem eſſe voluimus) in longè op-
tatiorem effectum, & nobis quidem minimè ex-
pectatum, commutârit: Orbati non iam ſolius
ſuæ clariſsimæ familiæ columine, verùm etiam
inclyti huius Regni vera & firmiſsima colum-
na, non poſſumus niſi lugere, dolere, & non iam
priuatam vnius familiæ Lobcouiciæ calamita-
tem, atq; publicum omnium totius Regni Ordi-
num, tanti viri deſyderium, deplorare. Quod
vos equidem A. C. veſtro lugubri in his exe-
dris conſeſſu, pullis veſtibus, lugenti vultu, atris
facibus, incredibili propemodùm populi fre-
quentia

quentia testatum voluistis: Ego verò hoc tenui perorandi officio, pro viribus meis comprobandum, mearum existimaui esse partium. A vobis peto vehementer, ne humilitatem squaloremq; orationis despiciatis, neúe dicentis insolentiam admiremini: Quin potiùs ab eo, cuius animus sit sentus, lachrymis, ac curis diuturnis debilitatus, quid polité vel eleganter dici posſit, pro vestro prudentisſimo iudicio, mecum cogitetis. Ea enim oratione, quam de vita & obitu huius viri Generosisſimi, institui, etsi dolorem animis vestris infixum radicitùs eximere vix potero, (quis enim id, in tanta vestri omnium perturbatione, sperare, nedum efficere queat?) lenire tamen, quantum viribus meis conniti mihi licebit, studebo. Et primùm de huius clarisſimæ familiæ ortu, atq; nostri Proregis Patria, & natalibus, non opus hîc esse pluribus existimo, dum hæc tum sint vobis omnibus adeò nota, vt nulla alia latiore declaratione indigeant, tum etiam tanta amplitudo, tanta claritas huius nobilisſimæ familiæ, priscis etiam illis seculis perpetuò fuerit, vt & veræ religionis Orthodoxæ amore, & bonarũ literarum studijs, & rei militaris scientia, Patrum atq; maiorum nostrorum memoria, semper habita sit longè

celeberrima. Et vt de alijs maioribus infinitis, nihil dicam, paucos tamen ex tanto numero, eos solùm, qui ad nos propiùs accedunt, & vel nostra, vel patrum nostrorum memoria floruêre, sine magno flagicio, tacitus præterire nullo modo possum: Inter quos Bohuslaus ille Hasisteynius Baro de Lobcouicio, facilè primum locum jure suo sibi vendicat. Bohuslaus ille, quem, si paulò attentiùs originem nostram domesticam investigemus, verè à Deo glorificatum, hoc est, propemodùm innumeris corporis & ingenij dotibus cumulatissimè exornatum, appellare possumus. Illum, inquam, Bohuslaum, qui & eruditione sua, & vsu rerum experientiaq́ꝫ, quam ex tot suis peregrinationibus fuerat consecutus, non solùm apud domesticos, sed etiam apud exteros, potissimùm verò eos, qui de ingenijs hominum acutissimè atq; prudentissimè vel soli (Italos intelligo) iudicare possunt, tantam sit consecutus opinionem, vt & oratorũ disertissimus, & Pöetarum suauissimus, & linguarum peritissimus, suo tempore fuerit existimatus. Testes eius rei sunt libri, ab eo in vtroq; genere dicendi prudentissimè, atq; doctissimè conscripti, adeò quidem, vt ob eius summam in vtroq; genere contentionem, in vtro magis excelluerit,

plurimi

plurimi ambigere non dubitarint. Testes sunt, plurimi viri eruditiſsimi, Slechta, Auguſtinus, Sturnus, Aurigallus, potiſsimùm verò Hieronimus Balbus Italus, Iuriſprudentiæ, Pöetices, atq; oratoriæ ſtudijs celebratisſimus, cum quibus ille, atq; cum ſuorum ſtudiorum æmulis, multis annis coniunctiſsimè vixerat. Teſtis, inquam eſt, inſtructiſsima omnis generis librorum, omnium linguarum, atq; bonarum diſciplinarum, fama illa apud omnes nationes politiores notiſsima, librorum ex vniuerſo terrarum orbe, ſumma diligentia, cura, & ſtudio, maximis impenſis, conquiſitorum, libraria ſupellex, quam ille in arce ſua Haſenſteyniaca ex omnibus totius mundi partibus diligentiſsimè collegit, collectam adauxit, adauctam ad ſuos poſteros ab omni iniuria ſaluam, atq; integram tranſmittere voluit. Alter eſt ex hoc numero, Ioannes natu maior Popelius Baro de Lobcouicio, qui anno vno ante obitum, Proregis noſtri, non ſine maximis totius familiæ Lobcouiciæ lachrymis, quinimò ipſius Regni publico luctu cùm ab ineunte ætate inuictiſsimi Imper. Ferdinandi aulam non minùs belli atq; pacis tempore ſequeretur, ætate prouectiore gradatim plurimos honores in hoc ampliſsimo

Regno ſit adeptus, extremum ſuum diem clauſit. Is quo conſilio, authoritate, atq; adeò ſingulari quadam grauitate, toto vitæ ſuæ tempore claruerit, omnes nouimus: quantum ſui déſyderium, apud omnes bonos reliquerit, patria noſtra non ignorat: quantum verò ſalutariter huic Reipub. conſultum voluerit, argumento nobis ſunt eius tot filij, & nepotes, quos ille ad veræ religionis cultum, mox etiam ad humaniora ſtudia liberaliſsimè educari curauit. Nouerat enim vir prudentiſsimus, religione vera primùm iacta, ſtudia honeſta, atq; bonos mores facilè prouenire, ea verò neglecta, vitam agreſtem, incultam, quin & ipſam immanem barbariem ſuccreſcere. Quod ille olim accidiſſe in Græcia, noſtra verò hac ætate deplorata, in pluribus locis alijs diligentiſsimè longo vſu obſeruauit. Quid ego hîc de Proregis noſtri fratribus germanis, generoſiſs. Baronibus, Litouino, Chriſtophoro, & Venceslao verba faciam? qui tum literarum ſcientia, tum militari gloria, tum omnium fortunarum affluentia, in oculis omnium hodiè ſummo cum honore in hoc Regno inclyto viuunt, de quibus, cùm adhuc ſuperſtites ſint, ideò loquor parciùs, ne quiſquam me eorum quicquam hoc loco dare auribus ſuſpicetur. Ampliſsimum verò Baronem

nem de Lobcouicio, Ioannem Popelium natu minimum, Ioannis natu maximi Lobcouicij Baronis filium, virum, iuditij maximi, & doctrinæ singularis, atq; Iuris Cæsarei non minùs, quàm Patrij nostri communis longè peritissimum, sine maximo piaculo quî præterire possum? Cuius præclaram in me voluntatem, & beneficum animum multis argumentis iampridèm perspexi, eiq; ob nouæ dignitatis accessionem, quam ille, pro sui animi generosissimi humanitate cùm recusaret, Serenis: Imp: nostri tamen clementi voluntate inuitatus, qui patruo suo, in decidendis subtilissimis & difficilimis totius Regni controuersijs, in celebratissimo illo Appellationum Pragensiũ Ordine, Præses succederet, modestissimè suscepit, pro meo studio, & animo paratissimo officiosissimè gratulor, precorq; vt illa dignitas, ei tandem ad summa consequenda aditum faciliorem patefaciat. Prætereo hîc alios propemodùm infinitos, qui hodiè hanc celeberrimã familiam ita exornant, vt omni virtutum genere, cum priscis illis Romanæ, & Græcæ Reipubli: luminibus facilè contendere possint. Nec hoc loco commemorationem alienarum virtutum institui: Verùm eas solùm, quæ Proregis nostri propriæ sunt, atq; ex ijs infi-

ijs minimis paucissimas, tanquam per transennam vobis commonstrandas duxi. Hæc est, illa familia, ex qua non secùs, atq; ab illa munificentissima Pandora, tot ornamenta, huic amplissimo Regno superioribus seculis cumulatissimè processère, & in hodiernum diem necdum procedere desinunt. Hæc, inquam, familia, quæ & suo numero, & bonarum literarum studijs, & veræ religionis cultu, & laude bellica (vt interim de fortunæ muneribus nihil repetam) perpetuò habita est longè clarissima. Ex hac igitur familia, vel, vt veriùs dicam, omnium virtutum, & bonarum disciplinarum, Schola, noster Prorex est oriundus, qui ne à maiorum suorum consuetudine degenerare videretur, veræ pietatis, & religionis fuit longè studiosissimus, eam ille non verbo solùm, verùm ipso opere, quod soli veri Christiani præstare contendunt, probare apprimè studuit. Quantùm enim longissimè spacium anteacti temporis respicere, & quàm verissimos testes eius vitæ præteritæ, summa cum innocentia transactæ compellare possumus, statim ab ipsis propemodùm incunabulis, primam illi curam pietatis Christianæ fuisse comperimus. Quæ à teneris ad pietatem assuetudo, etiam adulta ætate in eo comprobata est. Nulla enim itinera vnquàm

quàm

quàm aggredi, nulla grauiora negotia tractare, nihil deniq; aliud vel priuatum, vel etiam publicùm incæptare vnquàm solebat, nisi sacris mysterijs antè auditis. Adeò quidem, vt non puderet principem virum (exemplum omnibus verè Christianis imitatu dignissimum) ad mysteria sacra ministrare, prouolutis cum presbytero genibus, Diuinæ Maiestati errata sua confiteri, atq; non vnquàm nisi absolutis sacris, è templo discedere. Eam consuetudinem se adhuc adolescentem, à proceribus Regni, qui tum Reipub: gerendæ præerant, didicisse, toties prædicabat. Nec minore diligentia in Christiana disciplina Orthodoxa, apud ciuitatum suarum incolas integra, atq; inuiolata conseruanda, assiduò laborabat, blasphemos, maledicos, fæneratores, mœchos, quin etiam lusores, vagos, inutilia terræ pondera, è suarum ciuitatum finibus acerbissimis edictis exigere, atq; pœnis grauissimis in eos animaduertere frequentissimè solebat. Atq; vt apud illã potentissimã, & gloriosissimam quondam Rempub: Coss: sapientissimi, libros Græcos à sua religione alienos, in agro L. Petilij fortuitò ab agricolis erutos, non sine grauissimis causis concremari potiùs, quàm in publicum proferri iusserunt: Sic etiam Prorex noster nihil

C quicquam

quicquam in ſacris rebus innouari, nihil temerè recipi, toto vitæ ſuæ tempore in ditionibus ſuis paſſus eſt, quo mentes fidelium, vel à vero Diuini numinis cultu auocarentur, vel auitæ religionis iura, & conſuetudines infirmarentur. Ita quidem, vt etiam hoſce inferiores ritus non temerè eſſe negligendos exiſtimaret. Veſtram ego hîc fidem appello, ſanctiſsimi rerum ſacrarum cuſtodes, qui hoc præſente ſacris præeſſe ſolebatis, ſi quid fuerat à vobis de precibus Eccleſiaſticis intermiſſum, vel à choro Muſico minùs decenter decantatum, vel de ordine ſolito immutatum, vel à veſtris adminiſtris quicquàm remiſsiùs curatum, eius quoties ille vos admonere, quoties hortari, aliquandò & obiurgare conſueuerat? O virum veræ pietatis perſtudioſum. O Heröem diuini cultus peramantem. O Chriſtianum veram fidem dignis noua vita operibus exornantem. Atq; vt primùm ex ephæbis excedebat Prorex noſter, prima ætatis ſuæ tempora, non in turpi otio, vel rebus ludicris conſumpſit: Verùm in familiam viri prudentiſsimi (ad quē eo tempore, non ſecùs, atq; olim ad oraculum Delphicum, omnis generoſa iuventus, non tantùm ex hoc vniuerſo Regno, ſed etiam ex alijs vicinis prouincijs plurimis, certatim confluebat, beatos ſe exiſtimantes, quibus

tanti

tanti viri consuetudine frui liceret) in familiam, inquam, Magni illius Leonis, Baronis Rozmitalini, Bohemiæ Proregis se contulit, vbi non modò pietatem, æquitatem, sed multò magis iura Regni Patria, & mores probatos, quin etiam ipsum vsum, rerum omnium Magistrum, ab ineunte ætate perdidicit. Putabat enim cum præstantiss: illo Iureconsulto, Patriæ suæ, in qua viueret, honorum, & omnium immunitatum esset particeps, iura ignorare, omnium esse longè turpissimum. Intelligebat etiam Heros sapientissimus, Patriam hanc nostram communem, non tam solo iure scripto, more Atheniensium, sed etiam Lacedæmonum instar, ex consuetudine longo temporis vsu comprobata, plurimas controuersias definire. Intelligebat, inquam, tantam esse vim consuetudinis probatæ, vt etiam aliquandò legem scriptam superet, ideoq; sola viua voce faciliùs posse deprehendi. Illum Heröem quanti fecerit, quantoperè illum obseruârit, quàm officiosè coluerit, quàm sua intima illi soli communicata voluerit, quamq; vicissim sit ab eo redamatus, testes sunt omnes illi, qui eo tempore familiariter cum illis vixerant. Et quemadmodùm olim, cùm veteres illi Romani rerum potiebantur, ista vitæ innocentia, suis sanctis mo-

 nitis,

nitis, sua seueritate, admirabili morum facilitate temperata, tantum authoritate apud iuuentutem sui studiosam efficiebant, vt, quoties domo exire, in Capitoliũ ascendere, vel domum reuerti iuberet Senatoribus, toties Romanos iuuenes nobilissimos, præ foribus officij gratia sponte opperientes, præstò haberent, qui exeuntes comitarentur, redeuntes deducerent, senio affectos etiam suis humeris sustentarent, nec solùm foris, sed etiam domi, non quicquam eorum, quæ à iuuenili ætate suo iure expectari possent, prætermitterent, vbi hi, quæ à præceptoribus suis de maiorum reuerentia in gymnasijs, deq; suo ipsorum officio perdiscebant, re ipsa comprobabant, & vicissim illi, quæ longa exercitatione in foro, belli, domi, forisúe fuerant consecuti, id totum iuuentuti sui studiosæ communicabant, & ad Rempub: amandam, æquis legibus muniendam, deindè ad suos posteros sarctam tectamq; transmittendam, paternè hortabantur: Ita etiam hic Heros noster ab eo tempore, quo primùm in aulam Magni illius Leonis venerat, non latum ab eo digitum recedere consultum sibi putabat, quin omnia obseruaret, omnia signaret, non tantùm ipsa verba, orationem decentem, (quam ille mirificè sua grauitate, & vocum proprietate exornare solitus dicitur,

dicitur, vt tum ea, tum prudentia ipsius admirabilis, apud Serenis: Imp: Ferdinandum, non solùm admirationem maximam, sed & summum amorem illi conciliârit) verùm etiam ipsos nutus tanti viri, quàm accuratissimè denotaret, & quo ille loco esset, eò se aliquantò pòst peruenturum solerti mentis suæ acumine longè antè pro spiciebat. Nec solam nudam personam; ad tantam dignitatem, sed omnibus numeris absolutam, quantum in eo virium erat, quantum industriæ, quantum conatus, adferre contendebat. Id quod tandèm exitus paulò pòst comprobauit: dum vix adolescentiæ annos esset egressus, persuadente summo Regni Senatu, annuente Serenissimo Imp: Ferdinando, in ærarium Regium in assessorem est cooptatus. Et sicut quondam quæstura apud Romanos, omnium cæterarum dignitatum, quæ in ea Repub: fuerant amplissimæ, prima erat ianua: Sic etiam ærarium Regium, nostro Heröi ad superiora consequenda, primum patefecit aditum. Vbi ille posteaquàm annos complures, summa cum laude vixisset, nullos dies, nullas noctes propemodùm quietas habuisset, quin de sui Imp: commodis cogitaret, eò tandèm breui sua industria & fide facilè conscendit, quò alij plurimi tum temporis, etiamsi maxi-

mè contendebant, peruenire tamen non poterant: Nimirùm præses ærarij Regij in hoc amplifs: Regno Bohemiæ, omnium Ordinum consensu est salutatus. Deindè Præfecturam Lusatiæ est consecutus. In ea cùm aliquot annis se cum omnium admiratione, & summa laude exercuisset, Camerarij supremi dignitatem in hoc Regno amplissimam est adeptus. Cùm tamen nec ibi virtus eius conquiesceret, quin ad superiora conatu in dies ardentiore properaret, Invictissimi Imp: Ferdinandi in hoc Regno Inclyto vicarius, quem Proregem appellamus, est constitutus. Et vt tribus verbis omnia explicem: gradatim omnibus dignitatibus, in hoc Regno splendidissimis, noster Heros est perfunctus. Ad ea cùm alij vel alienis meritis, vel precibus, vel muneribus aspirare soleant: Noster hic Heros sua industria, sua virtute propria omnia ea est consecutus. Nam vitam illam splendidam, otiosam, mollem, delitijs, atq; voluptatibus delibutam, quam plurimi, cum suarum fortunarum detrimento, cum honesti nominis iactura malè feriati agitant, vt virtuti inimicam, generoso animo minimè dignam, perpetuo odio habuit. At verò ingenium suum subtilissimum, & memoriam propè diuinam, asidua virtutis meditatione ex-

ne exercebat, quæ duo maximo adiumento, ad maxima quæq; consequenda, Heroi nostro fuerunt. Quis enim æquè peracri mentis acumine, vnquàm fuit, qui vno eodemq; tempore, loquentes audire, scribentibus dictare, idq; linguis diuersis, literas legere, ipse etiam scriptitare potuerit? Certè præter Iulium Cæsarem, & Heröem nostrum, alium reperimus neminem. Et de Iulio quidem Cæsare, à fide dignis scriptoribus ea accepimus: De nostro autem Heröe, vos estis mihi omnes, quotquot adestis testes verissimi: Qui non hæc de eo legistis, neq; ab alijs audiuistis, sed ipsi coràm aspectare toties, quoties libuit, facilè potuistis. De huius diuina penè memoria, (vt potè vero omniūm disciplinarū thesauro) non plura hîc addo. Quo pacto enim de grauissimis causis, acutissimè differere, de ambiguis subtilissimè disputare, de necessarijs ad commoda totius Regni spectantibus, vobis maiore ex parte præsentibus, disertissimè persuaderè vnquàm potuisset, nisi bonitate ingenij, & firmitudine memoriæ fuisset adiutus? Est mihi credite, diuinum quiddam, non tam nobiscum natum, neq; à quouis mortalium nobis donatum, eloquentia, eloquentia, inquam, prudentia temperata. Sine hac enim illam non modò non

prodesse,

prodesse, sed etiam nocere perniciosissime, iustos condemnare, iniustos soluere, Vrbes euertere, populos in mutuas cædes, & internitiones committere, nos fateri necesse est. Ita, vt non incommodè veteres illi viri sapientes, eloquentiam solam furioso armato, coniunctam verò prudentiæ viro forti, & sapienti, comparare non dubitârint. Hinc illa nobilissima diuersarum Rerumpub: lumina, Demosthenes, & Cicero, Æschines & Hortensius, alijq; complures, qui suas Respub: difficilimis temporibus, ex maximis calamitatibus sua diuina eloquentia eripuêre. Contrà verò hinc istæ furiæ, hinc istæ pestes, Pisistratus, Busyris, Catilina, Cetegus, Lentulus, qui hoc diuino munere abusi, violentas manus suis ciuibus, ardentes faces suæ Patriæ attulêre. Quis verò in eo, in quo homines ipsis brutis, imò & cæteris hominibus longissimè præstant, elaborãdum, atq; enitendum non existimet? Quis eam artem, in qua non vnius priuati hominis, salus & incolumitas consistat, sed priuatorum, & adeò totius Reipub: integritas, salusq; versetur, non magni faciat? Quis eos homines, in quibus ea, tam speciosa, tam illustria diuinæ beneficentiæ munera elucent, non miretur, non suspiciat? Quid enim admirabilius, quidùe ad conseruandam

humanam

humanam coniunctionem accomodatius, quàm lites, discordias, iurgia, disceptationes, bella deniq; ipsa, quæ nisi cum ingenti hominũ pernicie committi, & ne quidem ipsis armis satis facilè sedari possunt, vnius hominis sedata, graui, atq; polita oratione mitigari, atq; componi? Et quemadmodùm his artibus primus Vrbis Romæ conditor Romulus, homines feros ex agris congregauit, Sabinarum coniugia adiunxit, Numa Pompilius religionis leges promulgauit, Brutus Tarquinios ex Vrbe eiecit, Mænenius Agrippa armatam plebem ex colle Auentino reuocauit, Lycurgus Lacedæmonibus, Solon Atheniensibus leges persuasit: Sic etiam hic Heros noster, intestinas offensiones sæpiùs pacauit, odia restinxit, lites diremit, quin & ipsam Rempub: sua mole grauissimè laborantem salutariter conseruauit, in ciuili seditione ΤΗΣ ΑΜΝΗΣΤΕΙΑΣ legis ferendæ Patribus author extitit. Nouerat enim vir sapientissimus, acerrima dissidia apud plurimas gentes, solo hoc remedio sæpenumerò sopita fuisse. Quid verò quando res seriæ orationem postulabant, quàm grauiter, quàm prudenter, verba facientem audiebatis, vos estis mihi testes optimi: Et ita quidem loquentem audiebatis, vt non loqui sed tonare, non tonare sed fulminare

cum summa vestri omnium admiratione, videretur. Quàm enim austerè in vitia inuehi, quàm acriter virtutes extollere solitus fuerit, experti sunt omnes illi, qui vel aliqua flagitia perpetrauêre, vel digna suis virtutibus præmia demeruêre. Ex quibus omnibus, quantum in eo fuerit iustitiæ studium, facilè perspici potest. Eam tamen virtutē ita moderari solebat, vt toto vitæ suæ tempore, nullum reum Capitali iudicio, priuatarum suarum iniuriarum causa, vnquàm se condemnasse verè & Christianè gloriari potuerit. Nec solùm de moribus, sed & de vniuersis naturæ occultioris mysterijs, de generationum & corruptionum causis, de corporum simplicium naturis, & cognationibus, de mixtorum iusta, & æqua compositione, de temporum vicissitudinibus, de astrorum motibus, & impressionibus, euidentibus rationibus, & argumentis firmissimis acutissimè disserere solebat. Idq; adeò accomodè, adeò expeditè præstare consueuerat, vt hæc non aliundè petita, sed ipsius domo deprompta, non vsu acquisita, sed cum eo nata viderentur. Nec verò tantùm nuda illa, rerum naturalium contemplatione delectabatur, sed & qua ratione, simplicia illa (quæ appellant) iusta quantitate componi, quo pacto ad vtilitatem humanam accommodari,

modari, quomodò plurimorum morborum occultæ causæ extingui, accessiones reprimi, effectus ipsi impediri possint, optimè nouerat vir perspicacissimus. Ita quidem, vt sæpenumerò in hac arte peritissimis, suis argutis quæstionibus, perplexis rationibus, negotium facessere solitus sit. At siquando de Imperiorum, & Regnorum mutationibus, de Rerumpub: & ciuitatum administrationibus, de Principum & subditorum officijs, mentio inciderat, si de legibus ferendis, bellis suscipiendis, inducijs paceq; sancienda: Omnia veterum scripta, omnes historicorũ libros, omnem deniq; totius antiquitatis cognitionem illum habuisse diceres. De Patrio nostro iure quid ego hîc agam pluribus? Quod ille non secùs, atq; suos digitos tenebat, difficilimas illas quæstiones, de pactis, stipulationibus, testamentis, legatis, fideicommissis, substitutionibus, vsucapionibus, tutelis, alluuionibus, stillicidijs, ludibundus definire solebat. Et (pro tam admirabili facilitate, vel potiùs ingenij sui diuini fælicitate) cùm alijs vel nihil agere, vel iocari, vel otio & iucunditati sese dedere videretur: In nihil agendo grauiores causas transigere: in iocando magis seria expedire: In otiando difficiliora negotia tractare: Quàm plæriq; alij, etiamsi animo præsenti, omnes suos neruos, omnes sui cor-

poris, & ingenij vires intendant. Quid ego de rei familiaris administratione, hîc verba faciam? De qua ita frequenter grauissimè disputare solebat, vt omnium Philosophorum libros legisse, optimorum Patrum familiâs instituta, ab ineunte ætate didicisse videretur. Ita verò cum suis victitabat, vt omnes, quotquot occupationes eius in publicis rebus nouerant, eum tantum temporis à maximis negotijs, ad priuatorũ suorum curam, potuisse vnquàm subtrahere, vehementissimè mirarentur. Atqui nunquàm humanis negotijs ita distinebatur, nunquàm prophanis occupationibus ita impediebatur, quin de diuinis cogitaret: & quò id crebriùs factitare posset, SERVATORIS nostri crucifixi imaginem, perpetuò ob oculos habere, sacra byblia nunquàm, siue domi, siue peregrè, è sua mensa remouere solebat: Atq; tum priuata sua lectione, tum eruditorum Theologorum frequentibus sermonibus, tantum fuerat assecutus: Vt nullæ essent penitùs de summa religionis apud aduersarios controuersiæ, quas ille ignorârit: Nullæ ad verum Orthodoxæ Ecclesiæ sensum oppugnandum imposturæ, quas ille euidentibus sacræ scripturæ argumentis, refellere non potuerit: Nulla veræ religionis fundamenta, quæ ille nesciuerit: quod omnes illi fateri possunt, qui his

superio-

ſuperioribus aliquot annis, cùm de nonnullis fidei Chriſtianæ quæſtionibus diſceptaretur, illum acerrimè cauſam Orthodoxæ religionis defendiſſe audiuerunt. Et ne ego hîc omnia tanti Herois facta præclara, ingenij, induſtriæ, prudentiæ, iuſtitiæ, & æquitatis plena commemorem: Prætereo illa, quæ indè ab adoleſcentia vſq; ad vltimum vitæ ſuæ terminum effecit. Non commemoro, qua beneuolentia, quo ſtudio, qua comitate perſonas miſerabiles, viduas, pupilloſq; perpetuò promouerit. Non adduco in ipſis iudicijs, vt æquitatis potiùs, quàm ſummi iuris aſsiduò fuerit longè diligentiſsimus obſeruator. Nam quid ego dicam hîc de arbitrijs? quem plurimi, cùm ſeueritatem iudiciorum metuerent, frequentiſsimè ad ea ſibi delegerunt. In illis verò quàm ſanctè, ac piè ſeſe geſſerit, fatentur omnes illi, qui illius æquitati, illius beneficentiæ, quæ habent, accepta ferunt omnia. Nam cùm aliarum virtutum perpetuò fuerit ſtudioſiſsimus, æquitatis tamen maximè. Etenim quibus laboribus peperit ille vnquàm, vel quibus occupationibus diſtinebatur, quæ illũ ab æquitate latũ digitum amouerent? Perhibent hoc de eo dies, & noctes, eas ille non otio, non ſomno, non luxu, non luſu, non cæteris id genus voluptatibus conſumere ſolebat: verùm amicis ſeſe dedere, egenis opitulari, miſeris

 ſuccur-

succurrere,omnibus alijs qui suam opem implorarent,consilio,auxilio, literis scribendis,re etiam ipsa præstò esse. Et cùm plærinq; alij sua se negotia gerere dicant, propterea publica negligant; alij suis se literis ita abdant,vt Rempub: non attingant: Ille contrà priuata negligere, publicis commodis seruire, sua prætermittere, communia procurare,fructum existimauit esse longè præstantissimum. Vos nouistis A. C. quòd annis amplius triginta, publicam hanc personam sustinuerit. Nam etsi,pro diuinæ suæ mentis præstantia, digna præmia suis in Patriam promeritis nunquàm appeteret: Tamen perpetuam suorum benefactorum memoriam apud posteros saltem, aliquandò non intermorituram, longo tempore antè præuidebat. Et,mehercule,nisi illa spes iam à multis annis illum aluisset, iam olim omnibus his laboribus abiectis, se omnibus dignitatibus omnibus honoribus, vel oneribus potiùs abdicasset, & sibi soli tandèm (quod frequenter in ore habebat) viuere instituisset. Illa spes, inquam,veræ immortalitatis,illum sustentabat, vires augebat, labores leniebat, atq; omnia aduersa mitigabat. Et certè,nisi hæc sola præmia honoris,& immortalitatis, benè meritis essent proposita,quis esset tam durus, quis tam ab omni sensu

ſenſu alienus,qui omnes difficultates ſubire, tot pericula perpeti,ſalutem propriam negligere, diſcrimina ſponte appetere, caput ſuum, adeoq; ipſam vitam,hoſtiũ ſanguinolentis manibus obijcere vellet? Niſi ſperaret ſe longè cumulatiora præmia in poſterũ, perpetuæ famæ & immortalitatis accepturum? Hoc ſtudium publicorum commodorũ,cùm toto vitæ ſuæ præteritæ tempore, tum verò præſertim illis poſtremis comitijs, Sacratiſsimo Imp: noſtro,Reipub: atq; omnibus huius Regni ordinibus probatiſsimum eſſe voluit. Oſtendunt id eius maturæ deliberationes, graues conſultationes, laborioſæ de publicis emolumentis, deúe ordinum huius Regni conſenſu,atq; conciliatione contentiones: qui dum iam præ ægritudine vix pedes traheret, præ inualitudine vix alienis humeris ſuſtentaretur: Tamen ſuo officio publicam vtilitatem deſtituere noluit: Maluitq;,dum modò pius eſſet in Patriam, atq; in ſuum Imperatorem, licet in ſe parùm officioſus,vel potiùs impius eſſet,maluit, inquam,vel extremum ſpiritum (quod re ipſa comprobauit) cum Repub: ſalua & incolumi exhalare,quàm eam ſua fide,& opera priuare. Et quemadmodùm Appius ille cæcus, ætate iam affecta,cùm ampliùs Rempub: ſuis viribus defendere non

dere non posset: Tamen ob sum̃am prudentiam, & vsum rerum admirabilem, in grauioribus caussis in Senatum Rom: deferri solebat: Sic etiam huius Herois nostri, in eo frequentissimo omniũ Regni Ordinum conuentu, in illis omnium difficilimis consultationibus præsentia, licet ætate, & ægritudine vehementer affecti: Tamen quantum publico bono com̃odârit, iam pridèm omnes Ordines iudicârunt. Adeò quidem, vt iam illi (si qui tamen sunt) qui eius industriæ, & virtuti inuidebant, mordebant clanculùm, iam primùm in illis postremis comitijs viderint; quem desyderârint, iamq; in dies experientur, quàm eius authoritas, grauitas, experientia, publico vsui fuerit futura necessaria. Nam quantus eius amor in Patriam hanc nostram com̃unem fuerit, vel tot Legationibus suis, pro Patriæ salute, Inuictiss: Impp: nostrorum nomine, ad tot Christianos Principes susceptis, & fælicissimè confectis, nobis omnibus testatum reliquit. Accedunt, huc tantæ ipsius impensæ, quas ille in tot præclara ædificia, ab ipsis fundamentis, summa cum laude, & familiæ suæ ornamento erecta, profusissimè fecerat. Hoc tamen non solùm ipsius amorem reliquum, sed & propemodùm omnem humanum sensum, longissimè exuperat, quòd Filium

suum,

ſuum, quem tum habebat vnicum,ad videndas exteras nationes,ad perdiſcendas peregrinas linguas, diuerſæ fortunæ, infinitis maris, continentisq; periculis obiecerit,nullis ſumptibus pepercerit,dummodò Patriæ ciuem,familiæ decus, hæredem deniq; tali Patre dignum poſteris ſuis relinqueret. Et cùm alijs virtutibus alios ſuperârit plurimos, hac tamen vna ſeipſum quodammodò ſuperauit. Hunc ipſius pium affectum illi etiam teſtari poſſunt,qui illi ſecretiore in loco, dum confidentiùs clam arbitris de commodis huius Regni loqueretur, affuerunt,quoties inquam,iam ingraueſcente morbo,debilitatis penitùs corporis viribus, animo tamen ſibi benè conſtaret,de iuuentutis huius Regni omnium ordinum negligentia, vel potiùs diſſolutione, grauiſsimè eſt conqueſtus: Quid agerent? cur in futurum nihil proſpicerent? cur ad concilia Regni tam pauci conuenirent?vel etiam conuenientes, vel latitarent,vel gula, luxu,& alijs illecebris totum hoc tempus,quod in publicis Regni totius negotijs conſumendum eſſet, parùm decenter traducerent. Eo anno ſublatos eſſe non paucos primorũ Ordinum viros principes,paucos iam admodùm qui vel ætate, vel vſu rerum alijs antecellerent,ex tam frequenti numero eſſe

E reliquos.

reliquos. Illos esse audiendos, illos obseruandos, ab illis Patrios mores, qui non tam scriptis, quàm ipsa secretiore consuetudine continentur, esse hauriendos. Hæc est illa cura, A. C. hoc studium Herois nostri, hæc de salute, de publico bono, totius Reipub: commodo, etiam in grauissima sua ægritudine, salutaris cogitatio. Ita vt, licet grauissimo morbo discruciaretur, de publicis tamen commodis cogitare non desineret. Nec solùm in rem communem, talis erat Proregis nostri affectus: sed etiam in alios viros priuatos, qui cum eo vnà eo tempore, in gerenda Repub: præerant, & quorum sensus, cum ipsius sensu congruebat, eos ille non tantùm mutua beneuolentia, sed & amicis officijs, & obseruantia in suo officio retinere conabatur. Eius rei testes erant, ipsius quotidiani sermones, profundæ voces, quas ille de alijs compluribus, tum verò præsertim de duobus suis æqualibus, Illustriss: Principe Plavensi, Henrico natu Maximo, & animosissimo illo Equite Marquardio, coronæ Regni Carolsteynij Præfecto, sæpiùs in maxima Principum virorum frequentia, habere solebat. Iactent Græci suos Pylades & Orestes, Theseos & Pirithoos, ego mediusfidiùs non video, quid ad verum veræ amicitiæ affectum, in nostris proceribus, accedere

cedere potuerit amplius. Et cum plærique alij amicitiam veram, salutationibus, conuersationibus, vel ciuilitate quadam vulgari, longo vsu recepta, metiantur: noster Heros contrà, tristes consolando, afflictos inuisendo, imperitis consulendo, captiuos redimendo, egenos subleuando, obæratis suis opibus, & fortunis succurrendo, fructum veræ amicitiæ existimauit esse longè verissimum. Supersunt hodiè complures, quos ille suis vadimonijs ære alieno liberauit, authoritate tutatus est: obière alij, quorum causa ille fideiussionibus, bonam hæreditatum suarum partem, oppignorare, vendere, deperdere coactus est. Et cùm alij omnia perpeti, omnia laudare, omnibus assentiri, amicitiæ causa soleant: Heros noster contrà, veritati in amicitia locum deberi principem existimauit perpetuò. Nullum habuit ita infensum inimicum, cuius virtutem non laudaret, nullum tam gratum amicum, cuius vitia non reprobaret, vituperaret, detestaretur. Nec tam mores similes, quod alij amicitiæ statuunt fundamentum, illique crebrò turpissimi esse soleant: Verùm ipsam virtutem, veram amicitiam conglutinare constantissimè, & verissimè asseuerabat. Hinc est, plurimos acerrimos sui aduersarios, virtutis opinione, illum in amicitiam pristinam re-

cepiſſe: contrà plurimos intimos amicos, ob vitæ turpitudinem, à ſua amicitia ſegregâſſe. At verò de diuina eius animi moderatione, cuperem ego hîc vberiùs verba facere, ſi per beneuolentiam veſtram mihi liceret, in qua virtute plurimam laudem, & verè ſolidam meruit. Nam etſi ſecundam fortunam, acceſsiones honorum, incrementa opum, ita æquo animo tulerit, vt non quiſquam ex eius vel ſermone, vel geſtu, vel inceſſu, vel vllo alio indicio, ipſius mentis immutationem vnquàm deprehendere potuerit: tamen in aduerſis multò clariùs eius diuini animi magnitudo, enituit. Et ſicut metalla igne perpurgantur: ita etiam eius patientia rebus aduerſis probata eſt. In quibus ille omnibus, nihil molle, nihil delicatum, nihil à Chriſtiana mente alienum, cum ærumnoſiſsimo illo, & Orientalium omnium viro patientiſsimo nec geſsit, nec locutus eſt vnquàm, cuius & verba in difficilimis, & grauiſsimis ſuis caſibus, patientiæ plena, in ſuo ore aſsiduò habere ſolebat. Et primùm hunc grauiſsimum ictum ab aduerſa fortuna accepit, cùm eius chariſſimi parentes ex hac vita ſublati ſunt, ſubitò ad ſuum remediũ confugit: Dominus dedit, dominus abſtulit. Subſecutæ ſunt mortes, duarum dilectiſsimarum vxorum, alterius, quam ex nobiliſs:

lifs: Biberfteyniorum Procerum familia, alterius verò, quam ex Illuftrifsima Vrfinorum Rofebergenfium domo duxerat: eas ille (licet intimo corde acerbifsimum dolorem premeret) nihilò tamen grauiùs defleuit, quàm: Dominus dedit, dominus abftulit. Acceffère paulò pòft filiorum, filiarumq; dulcifsimarum interitus, fratrum, & fororum coniunctifsimarum obitus, quos ille nihilo impotentiùs doluit, quàm: Dominus dedit, dominus abftulit. Excepêre hunc luctum, hæreditatum paternarum, ob æs alienum alieno nomine perfoluendum, abalienationes, nec hîc quicquam ingratum ab eo auditum quàm: Dominus dedit, dominus abftulit. Subortæ funt ciuitatum, arcium, pagorum, prædiorum exuftiones: eædem voces ab eo decantatæ: Dominus dedit, dominus abftulit. Allati funt rumores, qui gregum & armentorũ occafus, aggerum perruptiones, pifcinarum eluuiones, fegetum, vinearum, grandine, imbribusq; vaftationes, denunciabant: eadem confolatione vfus eft: Dominus dedit, dominus abftulit. Deniq; hoc fuo Chriftianæ patientiæ exercitio, id tandèm eft affecutus: vt, quemadmodùm illi, qui lõgo tempore antidotis fe præmuniuêre, ab omnibus venenis, fiue ea imprudentes hauriant, fiue fponte fibi necem confcifcere velint, euadunt ta-

men inæu: ita etiam hic Heros, vt nullis malefi-
cæ fortunæ turbinibus, nullis voluptatum leno-
cinijs, à veræ patientiæ statione, vnquàm potuerit
deturbari. O verè magni, & inuicti animi virum.
O patientiam Christiano homine dignam. O
virtutem omnibus sæculis, omnium gentium
linguis, sermonibus, literis, ab omnibus ætatibus
meritò prædicandam. Eam ille, vt euidentiùs
omnibus probaret, nullũ acroama, neq; publicis,
neq; priuatis in locis, neq; in sacris, neq; propha-
nis conuentibus, neq; domi, neq; foris, neq; viua
voce, neq; artificiali, vsquàm gratius audiuit, quàm
quo huius patientissimi viri, ex vetere Ecclesiæ
instituto, plenum tolerantiæ Christianæ exem-
plum pijs proponitur. Alij quid de huiusmodi
viro sentiant, ignoro. Ego verò eum, qui tanta
sit firmitudine animi, tanto robore mentis, tanta
indole virtutis, vt possit omnes libidines frenare,
voluptates respuere, aduersitates tolerare: om-
nem vitæ suæ cursum, in assiduo labore, atq; ani-
mi contentione collocare: se ipsum vigilijs, curis,
sollicitudinibus conficere: nullam requietem ad-
mittere: ludos, symbola, omnesq; adeò illece-
bras negligere: venationes, aucupia, palæstras,
choreas, idq; genus alia spectacula, de industria
præ se contemnere: nihil aliud in vita, nisi quod
cum

cum Reipub: commodis esset coniunctum, atq; ab honore & laude non alienum, appetere: talem, inquam, virum, non humanitùs institutum, verùm cælitùs omnibus naturæ bonis exauctum, in terras has demissum, constanter affirmare ausim. Quo in numero Heröem nostrum, Alcibiades, Themistocles, Catones atq; Scipiones, vtriusq; Reipub: Principes, suæ virtutis æmulos habuisse, perspicuum est. Et quia video, vestram hîc adauctam attentionem, quantum potero lateribus, & voce contendam, vt hæc non modò Proceres Bohemi, sed & vniuersi exteri, atq; posteri exaudiant, & id quidem, quod vos maximoperè desyderare sentio, & ego auidissimè proloqui expeto, tribus verbis exprimam. Nullam fuisse in vllo homine vllius errati nedùm maculam, sed ne suspitionem quidem, cuius caliginem aduersæ virtutis radij clarissimi, in Heröe nostro cumulatissimè non illustrârint. De alijs summis Herois nostri virtutibus, pluribus nihil opus esse reputo, cùm vna virtus absoluta, ex philosophorum opinione, omnes alias complectatur. Et iam, quæ fuerit vita Herois nostri, A. C. breuiter hactenùs explicuimus, reliquum est, vt de ipsius obitu pauca referamus. Cùm iam Prorex noster, non tam ætate affecta, atq; infinitis propemodùm

dùm laboribus, & publicis curis esset confecta, viribus paulatim debilitaretur, vigilijs exhauriretur, doloribus in dies augescentibus consumeretur, nec tamen quieto loco illi esse liceret, quin ab amicis, & etiam suis consanguineis, salutandi gratia se accedentibus, propemodùm quotidiè turbaretur, omnes ad se accessus, etiam intimorum ægerrimè ferebat, cùm tandèm & hoc ab eis (licet ægrè admodùm) impetrauit, ne quisquam suam quietem, nisi à se vocatus, interturbare auderet. Interim icteritia & lienis doloribus vehementissimè discrutiabatur. Quæ decebant Christianum hominem, suæ animæ salutaria adhibuit remedia, & ad illud longum iter, & certamen difficile, sese diuino præmuniuit sacramento, quod in sancta (quam vocamus) hebdomade, pro vetere ritu Ecclesiæ, & sua laudabili consuetudine, sumpserat. Paucis pòst diebus, vocatis aliquot amicis, præsentibus illis testamentum condidit. Triduo exacto Illustriss: Gulielmo Vrsino Rosebergensi, ad se officij causa accedenti, qua fide, & coniunctione cum eo tot annis vixerit, breuibus explicat, eius fidei, & tutelæ, filium suum natu maiorem præsentem commendat. Quatriduò pòst, cùm iam dolores augerentur plurimùm, quæsitus an sacra

audire

audire vellet, consensit, ijs peractis, liquore salutari, ad veram illam luctam armatus est: è vestigio accessêre aliquot viri Ecclesiastici, qui illum colluctantem, salutaribus monitis ad patientiam Christianam hortabantur, vera esse proposita præmia verè credentibus in Christum consolabantur. Aderat gemebunda vxor, filius collachrumans, intimi aliquot officij causa assistebant. Posteaquàm verò à medio noctis ad horam secundam vergeret, tum doloribus prorsùs remittentibus, in hæc verba secum mussitare videbatur; Dulces vxuuiæ, dum fata, Deusq; sinebant, Accipite hanc animam, meq; his exoluite curis. Vixi, & quem dederat cursum Deus ipse peregi. Hæc, inquam, cùm secum ipse profundo pectore versaret, dormiturienti similis, nullo prorsùs insolentiore corporis motu, altera manu passionis Christi imaginem, altera cæreum ardentem, in suæ viuæ fidei, & beatæ immortalitatis indicium tenacissimè præhendens, (quæ erat dies Domini, qua Euangelion illud consolationis & spei Christianæ plenum, de abitu ex hoc mundo, filij IESV CHRISTI Seruatoris nostri ad cælestem Patrem pijs proponitur) placidissimè Redemptori suo animam reddidit. Dicite quæso, A. C. quis est alius magis Christianus

 exhac

ex hac vita exceſſus? Quæ eſt alia, ad vitã illã ſempiternam, magis pia præparatio? Quæ deniq; alia dignior imitatu omnibus verè Chriſtianis poſt obitum Chriſtiani hominis comemoratio? Faceſſant hinc igitur, impiorum machinationes: conticeſcant ſimulatorum ſuſurri: reprimantur improborum calumnioſæ voces: retundantur iugulatorum ſceleratæ manus, quibus cùm illius pios manes concerpere nequeunt, impura & virulenta ſua lingua, illum in Orthodoxa religione inconſtantiæ, à maioribus ſuis profugij, in extremo vitæ ſuæ curſu impijſsimè falſò traducunt. Cùm pluribus viris præſtantiſsimis, exitum ſuum, ex iſta lachrymarum valle verè Chriſtianum, verè Catholicum præſentibus, coram diuino illo numine illi certiſsimis teſtibus, quinimò nobis omnibus reliquis, probatiſsimum reliquerit. Præſtat itaq;, eiuſmodi homines contemnere, cùm ſua impietate immortalitatem ſui nominis ſibi aucupentur. Vix enim digni ſunt de quibus verba fiant. At inter probos, & de re Chriſtiana, & publica benè ſentientes, quot reperti ſunt (vt interim domeſticorum intimorum, & cognatorum ſqualorem, & luctum præteream) quorum alij, vt patrem indulgentiſsimum hactenùs luxerunt, necdùm tamen eluxerunt,

runt: alij germani fratris loco, acerbiſsimè defleuerunt: plures alij, qui audito eius inopinato occaſu, ſubitò veſte mutata, dolorem ſuum intimum conteſtati ſunt: alij, ſi fieri poſſet, vitam ſuam, pro eius recuperatione, profundere non dubitârint. Siue enim intueantur ſupremum illum, ſummi Iudicij principum virorum conſeſſum: ſiue comitiorum Regni frequentiam inſpiciant: ſiue Cancellariæ inexhauſtas occupationes inuiſant: ſiue Appellationum intricatas cauſas reuoluant: omnes deniq; omnium iudiciorum, conuentuum, ordinum, congreſſus perluſtrent: vbiq; vident tanti Herois præſentiam ab omnibus deſyderari. Ergo Prorex noſter mortuus eſt. Eoq; magis ipſius tam præmaturus, & inſperatus obitus, pro eius in me beneuola propenſione, atq; ſpei, & expectationis cumulata recordatione, me vel ſolum propiùs attingit. Bona pars enim vitæ meæ cum eo mortua eſt. Pluribus ne hæc repetam, dolor meus acerbiſsimus præpedit. At verò in hoc tam graui ſauciatæ Reipub: vulnere, nonnihil mihi animum erigit, voſq; item A. C. magnam ſpem futuri publici emolumenti, mente concipere decet: dum videmus hunc ſummum Regni Senatum, prorſus in florem & integritatem pri-

ſtinam, aliquot viris amplißimis, diuina propemodùm Sereniſs: Imp: noſtri prudentia, & ſummis omnium Ordinum votis, & gratulationibus in mortuorum locum delectis, eſſe inſtauratum. Inter quos Heros ille ſummus, pacis non minùs atq; belli artibus inſtructiſs: Romani illius verè inuicti, & nobiliſs: ſanguinis, antiquißima progenies, Inclyti Regni Bohemiæ lux, & vnicum ornamentum, vera & immarceſcibilis roſa, lucentißimi ſyderis inſtar, inter illuſtres viros radians, ſuæ clarißimæ familiæ ſpes, clientum ſolatium, afflictorum ſubſidium, Ordinis ſui Princeps, Illuſtriſs: Gulielmus Vrſinus, Baro Roſebergenſis, Bohemiæ Prorex, iure ſuo primum locum ſibi vendicat, adeò quidem, vt, à ſuæ clarißimæ familiæ ſplendore, multò plus ornamenti, ad eam dignitatem exornandam attuliſſe, quàm ab ea accepiſſe videatur. Huic accedit, generis vetuſtate, maiorum dignitate, honorum præſtantia celeberrimus, cùm aliarum virtutum, tum verò liberalitatis, & veræ magnificentiæ ſtudioſißimus, illius fælicißimi, & ſempiterni, omnium reliquorum, totius Chriſtiani Orbis fæderum præſtantiſs: Principum Catholicorum, Inclyti Aurei Velleris Socius, Inuictiſs: Rom: Imp: fidus Achates, Aulæ Cæſareæ verum decus, glorioſiſs:

riosiss: & ampliss: Baro, Vratislaus Pernesteynius, Bohemiæ Regni summus Cancellarius, quem Diuina gratia, suis cœlestibus muneribus omnibus vberrimè exornauit. Ex hoc eodem Ordine est, verè Illustris Baro, Ladislaus Senior de Lobcouicio, qui non solùm natalium suorum splendore, sed & eruditione admirabili, & linguarum peregrinarum vsu ad Reipub: commoda paratus, cùm iam complures annos amplissimo illi, Serenissimi Imp: nostri, Appellationum in Augusta arce Pragensi Senatui, tanto doctissimorum, & nobilissimorum virorum numero, vel potiùs omnigenæ virtutis, & honestæ actionis gymnasio, summo cum honore & laude præfuisset, qui sui Fratris præmortui, in suprema Inclyti Regni huius Curiæ Præfectura, vicem gereret, dignissimus est habitus. Inter eosdem eminet, Valsteyniæ gentis columen, excellentiss: Baro Ioannes, cui tum ob singularem prudentiam, tum ob rerum domesticarum vsum, nunquàm satis laudatum, obq; alia multa eius præstantis animi documenta,, Sereniss: Imp: noster, Camerarij summi honorem vltrò detulit. Iungitur his generosiss: Bohuslaus Fælix Hasisteynius, Baro de Lobcouicio, qui ob sua egregia in Inuictiss: Impp: nostros, quin etiam in vni-

F iij versum.

uersum hoc Regnum præclara merita, ob immortalem suam, quam ex Præfectura Lusatiæ, consecutus est laudem, Summi Iudicis, in summo Regni Bohemiæ Senatu dignitatem, qui tueretur, communi omnium Ordinum consensu est designatus. Dabitis mihi veniam, A. C. si reliquos huius amplissimi Ordinis viros principes, ob temporis breuitatem, commemorare non possum. Mortuus est igitur Prorex noster? quinimò ex hoc teterrimo mortis carcere in æternam libertatem, ex densissimis tenebris in veram lucem est translatus: ne in hac rerum omnium difficultate, temporum calamitate, religionum discordijs, vitam infælicem nobiscum ageret, verè viuit in Christo, in hoc amplissimo Ordine, atq; adeò nobiscum. Nam præter alia plurima, suæ mentis diuinæ præclara monimenta, duas nobis potissimùm verissimas reliquit, duos nimirùm filios, sui imagines, atq; te Christophore generosissime his verbis alloquitur. Ego te, mi charissime fili, in hanc lucem genui. orbum matre, exigua spe, à teneris vnguiculis (quemadmodùm fidelem decebat patrem) ad veram virtutem introduxi, ad artes honestas, generoso animo dignas, cohortatus sum, studiorum tuorum tibi æquales adiunxi, monitores præstitui, qui te

obseruarent

obſeruarent iniunxi. Cùm ætas tua ſolidiora poſceret, ad mercaturam bonarum literarum, ad illud laudatiſsimũ gymnaſium, & ciuitatem Ingelſtadienſem munitiſsimam te emiſi, ingraueſcentis meæ ſenectutis baculum mihi fore putaui. Cùm à me abeſſes, quot meæ curæ, quantæ de te ſollicitudines, ne tibi quid aduerſi accideret, maior etiam illa cura, ne, parùm monitorum meorum reminiſcens, expectationem meam de te eluderes? Necdùm tibi ſatisfactum exiſtimaui, ad videndos peregrinos mores, ad perluſtrandam Germaniam, Burgundiam, Galliam, Britanniam, Italiam deniq; ipſam, hominum delitias, & Orbis totius florem longè amæniſsimum te expediui. Iam verò ne in toto Occidente, quod ampliùs videre deſyderes, quicquam haberes reliquum, ad Hiſpanicam profectionem, ad noſtros Sereniſs: Principes viſendos, neceſſaria tibi comparaui. Ad maternam linguam Græcam, Latinam, Germanicam, Italicam, Gallicam & Hiſpanicam, quòd adiunxeris, author tibi extiti. In his omnibus num tibi vel neceſſarij ſumptus defuêre? vel mea duritas tuis commodis obſtitit? vel mea ſeueritas tuam laudem vnquàm remorata eſt? vel vllane in re tandèm alia, ſenſiſti meam in te benignitatem claudier?

claudier? Postquam verò iam finem vitæ mihi natura facit, per hanc ego te dexteram, per tuam fidem, per meam solitudinem, atq; genium tuum oro, atq; obtestor: Deum Opt: Max: vt toto corde, & anima tua, ante omnia diligas. Religionem puram, veram, Orthodoxam, antiquam illam, in qua nati, atq; educati sumus, quam nos à parentibus, parentes nostri à suis maioribus, maiores ab Apostolis, Apostoli ab ipso Christo, perpetuo, inuiolabili, & indissolubili successu, puram receperunt, miraculis propagârunt, atq; ad hæc nostra vsq; tempora, integram, incorruptamq; conseruauerunt, quam ego iam extremo meo spiritu probaui, vt retineas. Innouationes omnes, fili mi, tibi sint suspectæ. Et quemadmodùm Deus verus, Deus vnus, & immutabilis est: sic etiam ipsius religio vna, religio vera, Orthodoxa illa imutabilis est. Ad hanc, ad Lydium lapidem quasi, omnes peregrinæ religiones probantur. Ad illum angularem lapidem, quicumq; temerè impegerit allidetur, quem imprudentem oppresserit, conteretur. Dij gentium, fili mi, Dij multi, Dij falsi, Dij mutabiles: Sic etiam eorum religiones multæ, religiones falsæ, religiones mutabiles. Deindè etiam natura nobis propinquos, amore, & tuo obsequio

reuereare.

reuereare, beneficijs nostris comparatos, constantes in te beneuolentia tua conserua. Cumprimis verò fratrem tuum Gulielmum, charum tuæq; fidei commendatum habeas, neúe mâlis alienum quempiam tibi adiungere, quàm sanguinis naturali vinculo tibi coniunctum, retinere. Et quò magis fratrem tuum ætate antecellis, eò magis æquitatem erga illum exerce. Qui etenim vel diuitijs opulentior, vel ætate maturior est, etiamsi nihil mali cogitet, eam tamen ipsam ob rem, quia incommodare potest, semper suspicione laborat. Deniq; subditos etiam nostros, atq; clientes, quorum opera, & fides, & mihi quondam grata, atq; vtilis extitit, & tibi tandèm necessaria futura est, ames, tueare, atq; conserues: ita, quod ego præstiti sedulò, non solùm de suis fortunis, vt ne quid deperdant, sed etiam opibus, & honore auctiores fieri posint. Quos enim beneficentia, & æquitate tua tibi deuinxeris, perpetuò in te officiosos, & constantes experiêre. Metus etenim quàm sit firmus diuturnitatis custos, aliorum nos exempla docuêre. Hic est, mi fili, verus ad comparandam gratiam aditus, hic apertus ad ineundas amicitias campus, hæc certa ad demerenda necessariorum studia meta, hæc postremò vnica, & sola, ad veram & sempiternam

 immor-

immortalitatem via. Hac, mihi crede, omnes præstantiſsimi viri inclaruerunt, ſine hac nemo quicquam dignum honore, dignum gloria, dignum deinceps ſuo nomine, nec geſsit, nec eſt conſecutus vnquàm. Habes ætatem florentem, campum in quo tua virtus excurrat, latiſsimum, æmulos veræ laudis plurimos, quos opperiri, ignaui militis, ſtudio verò, cura, celeritate tua anteuertere, glorioſiſsimi victoris exiſtimabitur. Ea ſunt, Chriſtophore generoſiſsime, Patris tui Herois immortalis poſtrema verba, ea vnica voluntas, illa verè cygnea cantio; cui reſpondere vt pium, & Chriſtianum eſt, ita tandèm tibi fore honorificum, & glorioſum res ipſa comprobabit. Nec ſubeſt hîc vlla, quæ nos de tua illuſtri animi magnitudine dubitare cogat, ſuſpicio. Ita enim natus es, ita à teneris inſtitutus, eam deniq; ſpem toti Reipub: de te iampridèm, adeoq; nobis omnibus cumulatiſsimè dediſti, vt à paternis veſtigijs, à virtutis ſtudio, à bonorum de te expectatione, ne latum vnguem receſſurus vnquàm videare. At vos, A. C. dolorem ob tanti Herois obitum, iam tandèm veſtris mentibus eximite: memoriam eius, de vniuerſa patria noſtra meritorum, grata recordatione recolite: virtutem imitamini: labores non ſubterfugite:

de illius

de illius vita beata, quam ille tot suis sanctis curis, præclaris cogitationibus, salubribus consilijs, iam dudùm immortalem sibi comparauit, nihil dubitate: sic vestrum in Proregem vestrum amorem, abundè probabitis: & aliorum studia plurimorum, ad benè gerendam Rempub: accendetis.

D.



IN OBITV IL-LVSTRISS. BOHEMIÆ PROREGIS, IOANNIS IVNIORIS POPELII, BARONIS DE LOBCOVICIO,

AVTHORE IOANNE SCLIPHO CAMP:
I. C.

ERgonè vera fuit cornix prænuntia fati,
Popelio Prorex, fama maligna, tui?
Ergonè lane iaces crudeli morte peremptus,
Qui modò præsidium, spesq; salutis eras?
Qui populos modò, qui terras fælice regebas
Imperio, fatis funus inerme cadis?
Qui modò Mercurium grata superare solebas
Voce, perit linguæ gratia tota tuæ?
Vrbes qui plures, multas possederis arces,
Exigua tectus, iam requiescis, humo?
Quem multi Reges, multi nouêre tetrarchæ,
Obscurus Pario conderis in tumulo?
Sydereo cuius volitabat in æthere virtus,
Defuncti exuuias tristia busta tegunt?
O nimium rigidæ, crudelia numina, Parcæ,
Immanes nimiùm, terq; quaterq;, Deæ.

Tantanè

Tantané vos generis tenuit fiducia vestri,
Humanum vestro perdere iure genus?
Num vos relligio, num gloria prisca parentum,
Intactæ num vos Pallados arma mouent?
Num virtus, pietas, magnorum gloria Regum,
Effugiant vestros, stemmata clara, rogos?
Cur non Gnathones, Epicuri de grege porcos,
Cur comedones non spicula vestra necant?
Qui tantùm Veneris, cæciq; Cupidinis æstu
Flagrant, illicitas nocte, dieq; faces.
Ingenium vitio tradunt qui, corpora somno,
Assueti molles quærere delitias.
At verò tristi completis cuncta ruina,
Parcendo reprobis, falce metendo bonos.
Quis non optauit Proregi longa Bohemo
Tempora, Cumææ sæcula tarda senis?
Quis non ingemuit casum miseratus acerbum,
Dum vidit columen iustitiæ perimi?
Hunc pueri & nuptæ, innuptæ gemuêre puellæ,
Herois flebant tristia fata senes.
Ipse etiam gelidis madidus plorabat in vndis,
Mulda Pater tanti, fata inopina, viri:
Dumq; suum rauca modulatur arundine carmen,
Emisit tales tristis ab ore sonos:
Omnes cùm longo iuuet indulgere dolori,
Sint quoq; tristitiæ, hæc carmina signa, meæ.

[illegible] ædificata Bohemis,
Extollens notum ſydera ad alta caput,
Ampla, referta viris, opibus, ſtudijſq; Mineruæ,
Turrigeras inter lucida tota domos,
Altera pars noſtras decliuis ſpectat ad vndas,
Ad medium veteri diruta mole diem,
Altera ſtridentes Boreæ conſurgit in auras,
Cæſarea tollens arce ſuperba caput,
Praga ſuum retinet veteri de limine nomen,
Septuplici gaudet voce beata frui,
Plurima quam circum Cadmæi munera Iacchi
Vineta in medijs collibus alta virent,
Quæ ſua promerito referunt condigna colono
Præmia, dum botro verſicolore madent.
Sunt ibi Pieridum rutilantia templa Dearum,
Leſboam tangit Phœbus Apollo chelyn.
Eſt ibi Boiemi ſacrata ſcientia Iuris,
Ordo ſacer Procerum, Iuſtitiæq; locus.
Eſt ibi Cæſareo Prorex venerandus honore,
Ex alto reddens iura Bohema throno.
Huc celeres properant cauſarum, hominumq; patroni,
Huc Regni triplex Ordo vocatus adit.
Hîc Lobconicia Ianus de ſtirpe ſedebat,
Cæſareo Prorex iura ferens ſolio,
Hunc quoties Cæſar, proceres, mirata loquentem
Turba eſt, attonitum vulgus ab ore ſtetit,

Dum

Dum Patriæ leges, libertatesq; tonabat,
Stentoreos superans, pectore, voce, sonos,
Dum vitijs pœnas, dignos virtutis honores
Attribuit, merito quemq; vocante suo,
Ad cuius vocem obscuri tremuêre recessus,
Altiùs interni personuêre lares.
Ah quoties dixi, Iano Prorege, Pelasgi
Concedent nobis, Ausonijq; duces,
Illi etenim plures, varias coluêre per artes
Pectora, quas diuæ Pallados antra fouent,
Hic alios solus virtute excelluit omnes,
Vincit aues cantu ceu moribundus olor.
Aut abies humiles quantum superare miricas
Dicitur, Arctoas Indus auarus opes.
Virtute ergo sua tales sortitus honores,
Iam solo gaudet; perfruiturq; Deo.
Et quia Thespiadum fuerat præclarus alumnus,
Delius huic fauit, Pegasidesq; deæ.
Fama refert, olim cunis plorante nitenti
Lumine adhuc puero, permicuisse caput:
At pia sollicito, nutrix perculsa, timore,
Infanti clamat, ferte salutis opem.
Accurrunt famulæ: miscentur cuncta Sabæo
Thure, noua fumat lectulus Ambrosia.
Conclamant: DEVS, ecce DEVS, penetralia visit
Infantis, magni signa sacrata Dei.

Vnamines

Vnanimes subitò tollunt ad sydera palmas,
Diuinam puero quæq; precantur opem.
Nec mora certatim diui, diuæq; sacratas
Incipiunt puero promere diuitias.
Ingenium huic Pallas dederat, connubia Iuno
Fausta, Cypris lætum prole beante thorum.
Eloquij infudit donum Cyllenia proles,
Et veras docuit quærere mentis opes.
Hinc verè studio laudis, pietatis amore
Flagrabat, vera relligione Dei.
Maluit antiquos syncero pectore ritus
Amplecti, primi quos coluêre patres,
Quàm noua fucato mysteria ficta colore,
Quæ plus erroris quàm pietatis habent.
Hinc est quòd toties pro relligione sacrata,
Insidias plures plura pericla tulit.
Nauita per scopulos, syrtes, cæcasq; Charybdes,
Vix tantum poterat sustinuisse mali:
Hic quantas tulerat sorte aduersante procellas,
Confringens firma, turpia monstra, fide:
Haud tamen à vera poterat pietate reuelli,
Non precibus, precio, non comitante dolo.
Aërias sicut ramos quæ pandit in auras,
Firmatur quercus viribus aucta suis:
Non illam Boreæue, Notiue suis vibratibus ima
Sede queunt, solitis vel remouere locis:

At magis

At magis illa suo contendit robore, quantum
Illius in vires turba inimica ruunt:
Sic pius hic Heros, immota mente tenebat
Omnia, quæ fidei pagina sacra docet:
Non illum fraudes, non somnia vana, nec vlla
Ambitio rectum linquere adegit iter:
Magnarum nec opum studium, nec uana cupido
Illius poterat sollicitare fidem:
Cuncta suis pedibus subiecit monstra, prophanis
Præposuit Christum quærere diuitijs.
Omnia florebant, ipso florente, nec vnquàm
Ipse lupus pauidas dilaniabat oues.
Ast hoc de media sublato luce Baronum,
Mutauit lætas, terra Bohema, vices.
Frigore cuncta rigent, atro completa colore
Atria, signa, faces, compita, templa, domus.
Pullati Proceres, nati, natæq; decoræ,
Pullata coniunx funera veste gemit.
Pullati cines, pullati terga coloni,
Ad domini plorant tristia busta sui.
Pullatæ lugent Musæ, pullatus Apollo,
Dulcisonæ rupit fila canora chelys.
Astra, Deos, & fata vocant crudelia nymphæ,
Castalio reboant, murmura mœsta, lacu.
Omnia nunc lugent, Iano Prorege perempto,
Omnia lugubri nocte sepulta iacent.

H Ipse ego

Ipſe ego qui quondam ſocia Muldeide nympha,
Aonio cecini carmina digna choro:
Orſus ab Vrſinis modulabar arundine campis,
Auſonium merita laude vehendo ducem:
(Ille quòd Vrſina quondam de coniuge lætus,
Quem gemo, connubij dona ſacrata tulit:)
Nunc hos vix querulo produco pectore luctus,
In verbis hæret balbula lingua metu:
Rauca mihi gelidas reddunt præcordia voces,
Pectora ſingultu concutiente graui:
Barba riget, crines horrent, algenſq; per oſſa
Anxia continuò circuit ima pauor:
Lumina ſponte madent lachrymis, præterflua ripas
Teſtatur fletus, vnda perau ta, meos:
Carmine pro læto, triſtes profundo querelas,
Pro ſerto fœdat cana ſenecta comas:
Dumq; ſuos Titan curſus, dum noſtra tenebit
Vnda, per Æmonias nauta pererrat aquas,
Triſtia luctifico depromam carmina plectro,
Proregis flebo fata maligna mei.
Hæc vbi fatus erat, riguis caput abdidit vndis,
Amplius haud viſus, nympha nec ulla, mihi.

TVMVLVS.

Ades viator hanc perambulans viam,
Sub hoc cubet quis, ſiſte, diſce, marmore.

Pius,

Pius, modestus, castus, æquus, intimus
Cultor Dei ille, qui Bohema tempore
Vetusta Regna rexerat longißimo,
Summi tenendo dia sceptra Cæsaris,
Domus columna, honosq; Lobconiciæ,
Suæ celebris atq; fama patriæ,
Domi, forisq; laude clarus, inclytis
Bonis, perenne nomen inde poßidet.
Sæpè hic locutus obstupente Ligio,
Vitamq;, opesq;, chara sæpè pignora
Throno sedendo pro tremente reddidit.
At ecce mortis ense cæsus inuido,
Iacet futurus causa fletus plurimis.
Bohema Regna quem extulêre Cæsaris
Loco, hüic secat trux Libitina stamina.
Opes beare quem haud quiuêre perpetim,
Æterna dona iam beatus obtinens,
Prorex gemente turba lanus occubat.

EPITHAPHIVM.

Cur Astræa gemit flauos fœdata capillos,
Relligio, pietas, spesq;, salusq;, fides?
Hîc quia virtutum, tumulo requiescit in isto,
Cunctarum cumulus, quas pius æther habet.

ALIVD.

Pegasides, Charites, Heliconiadesq; sorores,
Nere ides, Dryades, Thespiadesq; Deæ,
Flete pium tristi querulæ modulamine vocis
Patrem, cuius in hoc membra iacent tumulo.

ALIVD.

Huc adferte rosas, hîc lilia spargite Nymphæ,
Hoc viridi bustum cingite fronde Deæ.
Hic violæ spirent, gratos narcyssus odores
Reddat, vbi Prorex ceu rosa verna cadit.

ALIVD.

Populus in syluis veluti dum surgit opacis,
Exiles vmbris deprimit illa rubos:
Popelio Ianus, præclari stemmatis Heros,
Sic inter primos claruit ille viros:
Si vel opes spectes, vel sacræ dona Mineruæ,
Aut Atlantiade munera diue tua.
Ast nunc ecce iacet lethali falce peremptus,
Concidit heu patrij firma columna laris.
Cui Diui, ac Diuæ, Pyliam fauère senectam,
Huic vitæ secuit stamina Parca soror.

Aliud.

ALIVD.

Quæ cernis Pario de marmore busta viator,
Ad ripas virides, Boruodis vnda, tuas,
Hìc sua deposuit Boiemæ gloria gentis,
Prorex Popelio sanguine membra satus.

ALIVD.

Dic mihi cur tenui requiescit corpus in vrna,
Iani Proregis, qui decus orbis erat?
Is quia delitias mundi, carnisq; perosus,
Æternas voluit quærere diuitias.
Ergo viri exuuias hæc tristia busta recondunt;
Spiritus ætherea gaudet in arce Deo.

ALIVD.

Cedite pictores, sculptòres, cedite vates,
Popelij hìc Iani membra sepulta iacent:
Vestra alios ornent præconia, nomina quorum
Semper in obscuro delituêre situ:
Non eget hic vestro defunctus syrmate, fama
Viui repleuit solis vtrumq; polum.

PROCERES AD PROREGEM.

Quò properas patriæ lux ô clarissima nostræ?
Deseris heu mœstos, pignora chara, pater?
Quos tecum longos iuuit consumere soles,
Abstulit hæc nobis commoda nigra dies.
Nigra dies atro meritò signanda lapillo,
Gaudia quæ nobis non reditura rapis.
Ergo iaces, alios qui confortare solebas?
Vitæ spes nostræ concidis ante diem?
Te moderante ratis turgentia carbasa nostræ,
In tutis nauit nostra carina vadis:
Ast nunc te abrepto, mœsti ductore carentes,
Flebimus infaustas, nocte dieq́;, vices.

PROREX AD PROCERES.

Sistite iam fletus, gemitus, acresq́; dolores,
Post obitum vita iam meliore fruor.
Mors via perpetuæ facta est mihi certa salutis,
Hanc mihi non Erebus, non mala Parca rapit.
Vos eadem illa manet; mortalis vincula vitæ
Dum referent vobis sydera celsa poli.

DISTI-